



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

34. Unio charitatis cum Deo.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

PASSUS XXXIV.

Unio Charitatis cum Deo.

TEXTUS.

Qui adheret Domino, unus spiritus est. 1. Corinth. 6. 17.

Cognitio.

TRiplicem statuere possumus unionem cum Deo, unam communem multis, aliam paucis, tertiam paucissimis, eximiaque contemplationis dono præditis.

Prima convenit omnibus justis, gratiâ Dei præditis, & charitate ornatis, ac nullo lethali peccato à Deo divisis; atque hæc competit multis. De qua loquitur S. Joannes: *Qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo. 1. c. 4. 16.*

Secunda unio convenit paucioribus, illis scilicet, qui magno fervore viam perfectionis decurrunt; nec solum mandata Dei observant, & peccata mortalia fugiunt; verum etiam venialia delicta pro viribus declinant; in præsentia Dei ambulant, sæpe de Deo cogitant, & per aspirationes amorosas ad Deum se erigunt, libenter de

de Deo & cum Deo loquuntur, in omnium virtutum studium sedulo incumbunt, opera sua ad ejus gloriam dirigunt; voluntatem suam cum ejus voluntate in prosperis & adversis conformant: atque ita per cognitionem & amorem, per locutionem & operationem cum Deo uniuntur.

Tertia unio est perfectissimorum & contemplativorum propria: estque unio felicissima, arcana, inexpertis impervia, & difficilis explicatu; Theologiæ mysticæ meta, & sapientiæ hujus medulla; quam ut ruditer saltem intelligamus, videamus
1. Quid non sit. 2. Quid sit. 3. Quæ ejus causa. 4. Qua ratione fiat. 5. Quinam effectus ex ea sequantur.

1. Unio hæc, altæ contemplationis dono præditorum, non est unio localis, sive præsentia, quâ Deus ubique est, & res omnes in ejus immensitate versantur: hæc enim unio convenit etiam rebus inanimatoris; nec est unio per gratiam sanctificantem, quâ anima gratiæ & amicitia Divinæ restituitur: quia hæc convenit omnibus justis, & pueris ante usum rationis; nec est unio per charitatem, quia hæc convenit omnibus Deum diligentibus, sed dono contemplationis, & mystica unione carentibus.

2. Quid igitur est, hæc amabilissima
&

& optatissima unio, triplicis viæ perfectio-
nis ultimus scopus & meta? Respondeo:
Unio hac (quæ est effectus ardentis amoris)
est virium anima cum Deo amorosa & per-
fecta conjunctio: hujus enim intuitu, unio-
nes aliæ antedictæ, inchoatæ solùm & im-
perfectæ meritò æstimantur.

3. Causa illius est amor intensus, & fla-
grans, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 27. *Amor*
enim, ait, primùm importat quandam unio-
nem, secundùm affectum amanti ad ama-
tum; in quantum amans æstimat amatum,
quodam modo ut uxum sibi, vel ad se perti-
nens, & sic movetur in ipsum, ut se ei
uniat. Consentit S. Augustinus, qui amo-
rem vocat, *juncturam quandam, qua*
amantem cum amato copulat, affectu ipso,
vel re ipsa copulari appetit. Mox verò id
ampliùs declarans, addit: *Ad affectum*
dilectionis Dei pertinet, ut hominem in illum
trahat, ei uniat, ac veluti commisceat, sic
ut unum quid cum eo efficiatur; quod cum
verè fieri nequeat, saltem cupit, quantum
potest, presens illi, & omnibus bonis ejus
adesse, cum eo colloqui, eâque saltem ratio-
ne, unionem perficere. Declarari id quo-
dammodo potest rerum naturalium simili-
tudine; amor enim sicut calor congregat
homogenea, & ab heterogeneis segregat:
id est, separat terrestre & animale a spiri-
tuali;

tuali; seu sensualitatem à spiritualitate, & hanc unit cum Deo, separans pretiosum à vili, facitque divisionem moralem spiritus & animæ, dum spiritus depuratus & defœcatus.

4. Ipsa autem unio fit, in fundo seu intimo animæ, quando Deus clarissimâ luce se illi præsentem, & eam intuentem, ac tenerrimè diligentem ostendit. Deinde *memoria* ipsius animæ huic DEO sic sibi manifestato tenacissimè adhæret, ita ut unione durante ab eo avelli nequeat. *Intellectus* verò eum clarissimâ luce sapientiæ inspicit; & vel ut quoddam totum, in quo est omne bonum; vel secundùm aliquam, aut aliquas perfectiones intelligit; ita ut ab eo in aliquid aliud diverti nequeat. *Voluntas* autem eum ardentissimo amore constringit, qui instar ignis erumpens omnia videtur absumere; ita ut anima jam non in se vivat, neque actionibus naturalibus intendat, sed in eum dulcissimum Sponsum toto affectu transeat, à quo artificissimo est apprehensa complexu. *Potentia* quoque cæteræ adjuvant, & unionem cum Deo non impediunt: *phantasia* Deum imaginando, *appetitus* concupiscibilis & irascibilis, tranquillè se gerendo & conspirando; *sensibus* etiam à terrenis sese abstrahentibus, ac de bono & quiete animæ gaudentibus.

Dilectio.

O dulcissime & dilectissime animæ meæ Sponse, JESU Christe! quando amorosâ & perfectâ unione hæc dignus ero? Quando in veritate dicere potero: *Dilectus meus mihi*, & *ego illi*? Quando anima mea à terrenis avulsa, totâ in Te abripietur, & admirandos hujus unionis effectus experietur? I. Ut osculo à Te accepto, anima mea attactâ cœlesti quadam, & nullis verbis explicabili dulcedine perfundatur. II. Pars inferior animæ remaneat blandissima, & mirâ teneritudine repleta, in dulces resolvatur lacrymas, & cœlestium desiderio urgeatur. III. Anima quoque indicibili pace repleatur, quam nullus eventus turbet, nihil adversum obnubilet, imò ad adversa, & difficilia roboretur. IV. Ingenti zelo ac desiderio salutis animarum accendatur. V. Humilitate profundissimâ perficiatur. VI. Carnem desideret deserre, cupiatque dissolvi, & esse cum Christo, ut ad omnium perfectissimam unionem in cœlo perveniat.

Petitio.

Domine JESU, in Semita Perfectiönis triplici Ductor & Doctor excellentissime! Efficacis gratiæ tuæ auxilio potenter
nos

nos adjuva ; ut I. Viam Purgativam feliciter decurramus, & vitia cuncta strenuè mortificemus. II. Ut Viam Illuminativam, Viam Virtutum generosè absolvamus, omniàque virtutum cimelia acquiramus. III. Ut Viam Tertiam Unitivam ita perambulamus, ut obtentâ charitate perfecti, intimè Tibi uniamur. Amen.

Aspirationes.

I. *Mihi adherere DEO bonum est. Psal. 72. 27.*

II. *Domine, da cor, quod Te cogitet, animum, qui Te diligat, mentem, qua Te recolat, intellectum, qui Te intelligat, rationem, qua Tibi semper summè delectabili fortiter inhæreat. S. Aug. soliloq. c. 1.*

III. *O Anima meæ animæ ! O Vita meæ vitæ, DEUS meus ! Te solum diligo, me totum Tibi offero, Tibique intimè adherere, & uniri desidero ! Ad laudem & gloriam tuam sempiternam. Amen.*



EPILOGUS ET CLAUSULA

Ad Lectorem Benevolum.

HAbes, Lector Benevole, Libellum, Perfectionis Semitam, quasi digito, tibi demonstrantem; ac tum pro intelligentia & cognitione, tum pro affectu & dilectione, tum pro exercitatione & praxi servientem: utere secundum methodum in Præfatione insinuatam. Et quidem I. Ante omnia, ope Examinis Particularis, vitia & passiones, tanquam zizania ac spinas, gladio mortificationis reseca: ut Viam Purgativam, absque offendiculo, perambules. II. Virtutum pulcherrimarum studio & exercitio te totum consecra, iisque tanquam floribus speciosis ac fragrantibus te exorna, ut Christo Domino similior evadas & gratior, Viámque Illuminativam alacriter decurras. III. Denique in cognitione & amore DEI strenuè & indefessè te exerce; auspiciando à cognitione DEI, legendo, meditando, ruminando ejus magnalia, sapientiámque cœlestem flagitando; dilectionis enim defectus, ut sæpe

N

me-

meminimus, ex defectu cognitionis nascitur; *Ideo Te non diligit anima mea; quia Te non cognoscit*, ait, DEUM alloquens, sanctorum Doctorum Aquila, Augustinus, in soliloq. c. 1. Deinde actus internos & externos charitatis DEI & proximi crebrius eliciendo. Nec contentus esto communi seu vulgari charitate, sed ad sublimem & eminentem aspira; quò DEUM degustare, eodem frui, & intimâ ac perfectâ unione cum eo conjungi valeas; tandemque post breve vitæ hujus mortalis curriculum, in virtutum & charitatis exercitio peractum, ad optatissimam, beatissimam & perfectissimam cum Deo unionem in cœlis pertingere mereare. Quod tibi mihiq; Deus Pater, Dator & Pater luminum, Filius, Ductor, Doctorque virtutum, Spiritus Sanctus, charitatis, sanctitatis & unionis Author, Fautorque, benignè elargiatur.

Amen.



IN.